



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

211 An Commendæ permutentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

altero non habente ius ideoque suum recuperare vel potius ad suum redire nequaquam prohibiti, licet alter compermutas omni remedio destituatur. Quidnam de Comendatariis dicitur? poteruntne permutare vel inter se vel cum aliis, nec ne? Non poterunt sine consensu commendantis; eo quod non domini vel quasi domini seu proprietarii sint, id quod hic requiritur, sed administratores duntaxat iique temporarii, donec absolute de beneficio constituantur c. nemo deinceps. §. de Elect. quod post Interp. nonnullos alios antiquiores prudenter adnotavit Ioan. de Selua sui Tract. de Benef. parte 3. q. 33. nu. 2. ne pluribus nunc ociose recedendis immoremur. presertim cum sit evidens, huiusmodi comendas quae dicuntur, privilegio mere personali quod in alios transire nequit quibusdam solere committi.

Non importune fortassis hoc loco quaeri posset de Prioratibus obediensariis, qui dicuntur, ab alio videlicet monasterio dependentibus & eius Abbati subiectis, an & hi veniant in permutatione: sed quoniam tales priores ad nutum Abbatis quocumque tempore reuocari possunt, unde obediensarii dicuntur & ipse prioratus nominatur Obediensaria. c. 2. §. prioratus quoque & c. cum ad monast. §. Tales. vers. nec alicui committatur aliqua Obediensaria perpetuo possidenda. de statu monach. & can. Regul. nec titulum dicuntur habere perpetuum, superioribus conformiter dicimus permutari prioratus istos vel inter se vel cum beneficiis aliis non posse. nec enim priores isti possunt iure suos appellare Prioratus,

h iij quos

211
An Comen.
de permuten-
tur.

212
Obediensarii
Prioratus an
permutari
possint, &
beneficia ma-
nualia, &
unde dicatur
manualia.